

Anekdota ex codicibus hagiographicis I. Gielemans.
Brussel, 1895.

Primordiale monasterii Rubiae Vallis, 114.

1460.

Ceterum euntibus quibusdam ex iuvenibus nostris sociis tuis pro
susceptione sacrorum, comitem itineris sortiti sunt iuvenem
quemdam ordinis Carthusiensis mihi notum. Qui cum interrogare-
tur a nostris qualiter valeret tantam ordinis distractionem homo
admodum tener ac delicatus sustinere, confidenter respondit: Equi-
dem spes consequendi sempiternam in coelo dulcedinem tolerabile
non parum reddit hunc meae contrarium naturae ordinis ri-
gorem.

Anecdota ex codicibus hagiographicis I. Gielemans.
Brussel, 1895

Primordiale monasterii Rubee Vallis, 162.

Iunior: Numquid licitum fuit semiapostatis praefatis ad alios ordines se tam libere transferre?

Senior: Utrum per speciale aliquod privilegium licuit eis, nescio, scio tamen Dominum dixisse cuidam, Lucae VI: Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei. Possit denique quivis ex instructu Spiritu sancti, petita licentia sui superioris, ad artiozem ordinem se transferre. Scio tamen quod privilegia ex parte capituli nostri generalis nobis pridem indulta prohibendi huiusmodi transitus habere noveruntur efficaciam, nisi obtineatur licentia ab eodem capitulo aut a priore superiore vel saltem a sede apostolica, nisi forte ad Carthusienses transeat. Audivi tamen testificationem cuiusdam notabilis prioris ordinis Carthusiensium in hunc modum, quod videlicet, si haberet aliquem propinquum aut familiarem, qui vellet se ad religionem dare, potius consuleret ei divertere ad ordinem nostrum quam ad suum, ea quod via perveniendi ad veras virtutes, sicut ipse dicebat, evidentius reluceat in ordine nostro quam in ordine Carthusiensium. Et ut huiusmodi tentatio inconstantiae longe sit a te, referam tibi duas revelationes utiliter nostris ostensas, unum de uno qui a nobis recessit, quae erat tristior et horribilior, alteram de uno quodammodo qui recedere voluit, sed non potuit, quae ubique fuit iucundior atque hilarior; per quas evidenter conicere poteris quam grata et placita sit Deo in hoc loco perseverantia et quantum displiceat ei imperseverantia. Tempore noviciatus mei habuimus quendam iuvenem recentem ad sacerdotium promotum, qui non multo post tentabatur se transferre ad Carthusienses; quod et postmodum fecit. Sed antequam recederet a nobis, accidit, dum celebraret, quod frater Arnouldus de Oiest, donatus noster et convicaneus eius, qui tunc fuit minister illius, videret in eius calice quasi fructum crudae carnis articulationem, ac si esset de costa ovis. Quod etsi cum horrore non minimo celebrans vidit, non tamen a coepto proposito destitit; quod utrum perfecisse paenituit, novit Altissimus, novit et ipse qui fecit. Item fuit tempore meo alter iuvenis apud nos a. d. M° cccc° LXVII° qui nescio quo spiritu

ductus, etiam afficiebatur se transferre ad Car-
thusienses. Unde contigit quod eadem nocte, qua
putabatur sequenti die fuisse recessurus, tantum
foetorem in aere sentiremus, quod vix aequani-
miter toleraremus. Verum sequenti mane, muta-
to consilio et proposito, compulsus est nobiscum
manere. Cui oportunitati eadem die dulcis vi-
sio arripit ad consolationem illius, qui eum
causa conversionis primitus adduxerat ad mona-
sterium nostrum.